Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

DA. BOX
10

No 2132.



BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS
= L.W. 1419 H

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

IOHANNIS GEORGII SADOLINI P.L. DANI, VRANIE: SIVE DE REBVS DIVINIS LIBER, AD INCLYTVM LVBECAE IMPERIALIS SENATVM.

LECTORI PIO S.

Vranie nitidi dum Cœli ſydera monſtrat,
Et populis multis fata futura canit:
Magnificum prorſus, nam quis negat? ipſa laborem
Præſtat, nec vulgo competit iſtud opus.
Regia ſed virtus diuinas pangere laudes,
Resq́ ſacras iuſto concelebrare ſono:
Quod mea ſi forſan neſcit præſtare Camœna,
Non minus iccirco dicitur Vranie.

ROSTOCHII

EXCVDEBAT IACOBVS LVCIVS TRANSYLVANVS.

ANNO M. D. LXXIIII.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

AD DEVM OMNI-
POTENTEM.



Summe Parens, & magne Deus, rerũq́; creator,
Qui geris inuicta Cœlica ſceptra manu:
Eripe nos praui cunctis è ſordibus orbis,
Daq́; bono æterno perpetuoq́; frui.
Tu ſiquidem ſolus cum gnato, cumq́; perenni
Flamine, regna tenes non peritura DEVS.

SOLI DEO VICTORIA.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

IOHANNIS GEORGII SADOLINI P. L. DANI, VRANIE: SIVE DE REBVS DIVINIS LIBER,

AD CLARISSIMOS, NOBILISSIMOS, OPTIMOS ET SAPIENTISSIMOS DOMINOS, CONSVLES, *Senatores ac Iudices inclytæ & florentiſſimæ Reipublicæ vrbis Lubecæ,*

PRÆFATIO.

CAeſareæ regitis qui ciuica ſceptra Lubecæ,
Magnifici Proceres magnanimiq́; Patres:
Sumite (ſed faciles) de rebus carmina ſacris,
Quæ Latijs cecinit noſtra Thalia ſonis.
Hoc opus vnanimi candore probabitis omnes:
Augurij nec ſunt friuola ſigna mei.
Cùm video ciues veſtros, cùm mœnia veſtra,
Templaq́; conſtanti condecorata fide:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

Tunc decus & robur ter magni ſentio CHRiſti,
Verbi qui pandit lumina clara ſui:
Nec minùs egregijs fora ſplēdida legibus ornat
Iuſticiæ firmans vincula læta bonæ.
Hinc fluit in veſtras prudens ſapientia mētes:
Hinc vos Pieridum cura fauorq́ iuuat.
Quid? quòd et vnus amor veſtrā cuſtodiat vr-
Et ſtudiū concors pectora veſtra regat? (bē,
Quid quòd Relligio, Virtus, Muſæq́ venuſtæ,
Atq tegat veſtras docta Minerua ſcholas?
Sic equidem (nec me præſagia viuida fallunt)
Pace Lubeca viget, Marte Lubeca valet:
Et pariter cuncti, vir, fœmina, virgo, puerq́
Harmonicis reſonāt carmina ſancta modis.
O quàm dulce bonum diuinū pangere Nomen,
Aethereumq́ fide concelebrare Ducem,
Hinc vrbi veſtræ felix opulentia fertur,
Funditur hinc veſtris ciuibus omne decus.
Viuite præclari Proceres, patreſq́ verendi:
Creſcat & in laudes gloria veſtra Dei.
Carmine ſæpè meo veſtros meditabor honores:
Obſequium placidè vos modò ferte pium.

DE REGNO ET MONARCHIA CHRISTI SERVAtoris.

Qvid ſceptra cantem vel Babylonica,
Vel Perſicorum robora Principum,
Magniq́; Alexandri vigorem,
Romuleiq́; throni decorem?
Rex maior effert conſpicuum caput,
IESVS, Deorum maximus omnium:
Qui viua mens Patris ſupremi
Eſt homo virgine natus alma:
Hic nos redemit ſanguine proprio
Truſos furentis Dæmonis in iugum:
Idem triumphator coruſcus
Fregit opus Stygij Draconis.
Victore tanto Mors fera concidit:
Peccata ceſſant, & ſcelerum lues:
Infernus atrox, Dæmoneſq́;
Non poterunt nocuiſſe iuſtis.
Iuſtis, Deo qui ſaluifica fide
Seſe ſacrârunt: nec reprobam ſequi
Vitam ſtudent: ſed lege Chriſti
Nocte dieq́; frui laborant.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

O vos fideles, noſcite, noſcite,
Veſtrum Patronum, qui nitidus Deus
Sub carne noſtra mitis atq́;
Lenis adeſt hominum ſaluti.
Princeps IESVS, noſter herus manet,
Regnatq́; felix ſecla per omnia:
Cùm cæteri Reges quieſcent,
Imperium feret hic perenne.
Gaudete cuncti, Rex quibus hic nitet
Cultu decoro: vos ſiquidem quies
Aeterna, pax & ſempiterna
Sedibus in ſuperis beabit.
Vos haud laceſſet trux furor hoſtium,
Nec vis rebellans Dæmonis impij:
Nam tuta Chriſti regna ſplendent
A Satana & rigidis Tyrannis.
Non hîc dolores atq́; moleſtiæ
Duræ vigebunt, curaúe ſqualllida:
Verùm omnibus lucebit ingens
Gloria, proſperitas, ſalusq́;.
Omnesq́; Chriſto præſide erunt boni,
Iuſti, beati, grati, & amabiles.
Sed quæ, precor felicitatem
Vox poterit ſatis hanc ſonare.

O Chriſte IESV, me miſerum iuua
Cùm membra linquet Spiritus hic meus:
Et da mihi lætam quietem
Corporis, ac animæ ſalutem.
Quamuis grauatus mortifera lue
Te dignus haud ſim: me tamen in tuam
Si gratiam ductum ſupremo
Concilies, pie Chriſte, Patri:
Fulgebo regno candidus in tuo,
Exemtus omni crimine noxio:
Vincamq́ pulcras luce ſtellas,
Soleq́ clarior eniteſcam.
En, tempus inſtat quo veniet Deus
Iudex coruſcus: ſumite lampadas
Claras, nec alto vos ſopore
Mergite, ſed vigiles vigete.

DE POENITENTIA QVA PECCATORES IN REGNVM Dei ſuſcipiuntur.

SI cupis optatæ contingere munera vitæ,
Quiſquis es hoc placido pectore dogma tene.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

Volue Dei legem, peccataq́ propria noſcens
Naturæ luge crimina tetra tuæ.
Conuerſuſq́, Deo confide: ipſiq́, patrono
Subijce te Chriſto, qui tua damna leuet.
Poſt hæc inſiſtens precibus, votisq́ pudicis,
Officium præſta cum pietate tuum.
Hanc niſi per iuſtam methodū veſtigia flectes,
Non poteris magni regna videre Dei.
Non etenim porcis tribuuntur gaudia Cœli,
Qui vicijs inhiant mortiferoq́ luto.
Ergò Dei vox eſt animis retinenda modeſtis,
Ne vitæ nobis præpediatur iter.
Quid Baptiſta docet? quid Rex excelſus Iēſus?
Et quid Apoſtolici turba beata chori?
Omnes quippè monent vitam emendare priorē,
Atq́ ſacrare alto pectora noſtra Deo.
Conueniunt autem tam dulci voce Prophetæ,
Ex lapſu miſeros dum reuocare ſtudent.
Vna ſalus ſiquidem ſceleratos linquere mores,
Promiſsisq́ Dei certam adhibere fidem.
Nullo nam merito, ſed gratìs munere Chriſti,
Cœtibus eueniunt commoda tanta pijs.
Quos ego dico pios? reſpondeo: quos Deus vltrò
Seruat credentes, pro bonitate ſua.

Dat pa-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

Dat paradigma Petrus, peccatrix fœmina, latro
Quos fecit iuſtos filius eſſe Dei.
Tu quoq; fide Dei gnato, iuſtusq; capeſſes
Aurea (quæ Chriſti gloria) regna Poli.
Per Moſen Lex eſt, qua te cognoſcere debes:
A Chriſto IESV gratia tota fluit.

DE AGNITIONE PECCATI, FIDE, ET NOVA obedientia.

PEccati agnitio, Fidei conceptio læta,
Obſequiumq; pium ſunt tria pulcra bona.
His etenim rebus veniunt mortalibus ipſis
Nobilitas animi, gloria, fama, ſalus.
Sed tamen vt poſsis verũ comprændere ſenſum,
Nec te, non planæ, fallat imago rei:
Suſcipe dogma ſacrũ, fallaxq; ſophiſma repelle:
Vſus enim iuſtus res facit eſſe bonas.
Peccati agnitio meritum non dicitur vllum
Quo poterit nobis vita ſalusq; dari. (tur:
Nã morbi agnitio velut haud medicina voca-
Sic ſcelerum agnitio iuſticia eſſe nequit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

Damnati agnoſcūt ſua peſſima crimina cœtus,
Hos tamen ira Dei, morsq́ꝫ profunda manet.
Perfidus agnouit ſceleratum crimen Iüdas,
Merſus in Infernum ſed tamen ille iacet.
Non ergò agnitio viciorum regna meretur
Cœlica, nec iuſtos protinus illa facit:
Verùm animis mœſtis medicū demōſtrat Ieſum,
Qui noſtros morbos demere promtus auet.
Aeger homo vt dignā medicinā quærit habere
Quæ languorem omnem pellere ſola poteſt:
Sic peccatores Chriſtum coguntur adire,
Crimina qui delet ſanguine noſtra ſuo.
Chriſtus enim noſter noſtræ vult cauſſa ſalutis
Dicier: hoc medico pharmaca digna fluunt.
Illum noſtra fides complecti debet amanter,
Vt potè qui ſolus nos iuuat atq́ꝫ beat.
Nec tamen illa fides per ſe Cœleſte meretur
Regnum, nec per ſe crimina noſtra fugat:
Non etenim tanta eſt: perfectè credere nā quis
Suſtinet? En, plenam conuenit eſſe fidem.
Nos, eheu, miſeros turbat dubitatio multa,
Nos & adhuc agitat lapſus, Adame, tuus.
Quid nos primorum ſic lædit origo parentum?
Quid tam diſtortos nos caro noſtra facit?

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

Scilicet vt moniti ſapiamus caſibus iſtis,
Atq; fidem noſtrum non reputemus opus.
Quid valet ergò fides? velut organon ipſa nite-
Quo Chriſtus nobis ſuſcipiendus erit. (ſcit
Omnia Chriſtus enim nobis peccata remittit,
Cuius & auxilio vita beata datur.
Hunc decet obſequio recto decorare Patronum:
Nec tamen hoc meritum dixeris eſſe tuum.
Nemo etenim perfectè implet mãdata Tonãtis:
Nemo Dei toto pectore iuſſa facit.
Relliquiæ nobis nam prauæ carnis adhærent,
Vnde fit vt noſtrum ſæpè fatiſcat opus.
Non igitur noſtro delentur crimina tetra
Obſequio, aut Cœli dinumerantur opes.
Ergò nihil rectè faciendum? non ita quæſo:
Quippè bonos fructus poſtulat alma fides.
Alma fides ſuadet generoſos ferre labores,
Admonet & ſtudijs inuigilare pijs.
Quid? quòd & egregijs Eccleſia moribus ipſa
Ornatur? nec enim lux ea laude caret.
Si quid ages ſanctè, tibi ſurget ſplendida fama:
Nec meritum iactes tu tamen ipſe tuum.
Quis virtute ſua potis eſt perrumpere Cœlos?
Quis propriæ demum cauſſa ſalutis erit?

Compe-

Competit hæc ſoli laus & victoria Chriſto:
Chriſtus noſtra ſalus pandit ad aſtra viam.
Qui quia virtutes moresq́; requirit honeſtos,
In ſtudijs rectis ocia docta teres.
Vocem qui Chriſti Domini contemnit & odit,
Perpetuum accelerat dedecus ipſe ſibi.
Agnoſce ergò tuum conſtanti pectore crimen,
Fide Deo, obſequio te moderare pio.

DE SACRO VERBI DIVINI MINISTERIO.

NON opus eſt noſtrũ noſtras agnoſcere vires,
Sidereoq; probè fidere poſſe Deo:
Nam varijs natura modis violata fatiſcit,
Nec per ſe numeris omnibus ipſa quadrat.
Propterea Cœli rutilans regnator IESVS
Inſtituit verbi dulce miniſterium:
Mentibus vndè pijs promuntur Cœlica iura,
Aethereiq; ſonant myſtica verba Patris:
Vndè etiam fidei monſtratur origo venuſta
Diuinæ, & morum profluit altus honor.
Et, quod mireris, per verba ſonantia caſtis
Cordibus inſeritur Spiritus ipſe Dei:

Spiri-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

Spiritus ipſe Dei mortalia pectora flectens
Vt mala condemnent, et bona quæq; probet.
Non igitur par eſt ſanctos ſpreuiſſe miniſtros,
Verbi qui ſpargunt ſemina pura ſacri.
Propria nec profert caſtus mandata ſacerdos:
Nunciat æterni ſed pia iuſſa Dei.
Quare qui ſeruũ Domini non audit amanter,
Ille Dei viui neſcit amare decus.
Fac tua, Chriſte, ſonent latè ſanctiſsima verba:
Noſtraq; tu ſancto Flamine corda rege.

VERBI DIVINI COMMENDATIVNCVLA.

DVlce Dei viui, pia mẽs, complectere Verbũ
Nil etenim melius, nil eſt iucundius vſqu(am.
Nam veluti teneros flores vis inclyta roris
Elicit ex imo ſinuoſæ viſcere terræ,
Et lætas etiam demulcet ſuauiter herbas
Humor aquæ madidus blãdæ, fruticeſq; comãtes
Adiuuat æthereus nimbus ſtillantibus vndis:
Sic quoq; ſidereæ vocis ſanctiſsimus imber
Mortales miſeros tenebroſo carcere Mortis
Educit, reficitq; animas & pectora noſtra

Dogma-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

Dogmatis optati ſucco, placidoq́ vigore
Fluminis æterni cœtus commendat honeſtos.
Quàm ſiquidem ſiccis eſt gratus floribus imber
Rosq́ decens campos qui ſe diffūdit in omnes:
Tàm iuuat afflictos animos fons ille perennis
CHRiſtus, largifluo qui recreat omnia verbo.

DE NATALI DOMINI NO= STRI IESV CHRISTI FILII Dei & Mariæ virginis.

DA, puer, citharam mihi
Vt canam placidum melos:
Quippè tempus adeſt ſacrum
Sæpè quod celebrabitur
Donec aſtra micabunt.
Natus eſt modò virgine
Filius Maria Dei,
Chriſtus ille decens homo,
Chriſtus ille potens Deus,
Chriſtus arbiter Orbis.
Quale conſilium Patris
Qui ſuum voluit dari

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

Filium venerabilem,
Eſſet vt Dominus pijs
Orbis atq; redemtor:
Rex pius, celebris, potens,
Carne nunc hominum nitens,
Mitis & facilis leuat
Diffluens hominum genus,
Noſq; ſanat amanter.
Ira demta Dei patris
Nil nocere poteſt ei
Qui Fidem ſtabilem tenet,
Et frequenter ad vnicum
Gaudet ire Patronum.
Iam cohors fera criminum
Antra ceßit ad infera:
Inferi nihil impetrant
In pios animos: Satan
Morsq; ſunt modò victi.
Iam fidelibus & bonis
Vera iuſticia eſt data:
Regna Cœlica principe
Filio Mariæ & Dei
Sunt pijs reſerata.
Gaudeant igitur probi,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

Atq; glorificent Deum:
Pax enim bona gentibus
Omnibus datur à Deo
Patre, præſide Chriſto.
Eià Chriſte decens homo,
Eià Chriſte potens Deus,
Pectus hoc rege tu meum
Spiritus radijs tui,
Et benignus adeſto.
Eià Chriſte decens homo,
Eià Chriſte potens Deus,
Me precor pius adiuues
Quandò venerit horridæ
Mortis vltima meta.
Laus ſit eximio Patri.
Filio decus inclyto,
Fama Spiritui ſacro,
Qui ter optimus eſt Deus
Rex & omne per æuum.

AD CHRISTVM.

Impia turba Deo veſana mente reſiſtit,
A quorum furijs pectora ſancta timent.

Conſi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

BVS DIVINIS LIBER.

Conſilijs verò rectis nos, Chriſte, guberna
Ne noſtras animas deuoret iſta lues.
O defende tuum IESV fortiſsime Nomen:
Te florente pijs nulla pericla nocent.

IN NATALEM DOMINI ET SERVATORIS NOSTRI IESV CHRISTI: è vernaculo.

PAruulus nobis puer & modeſtus
Virgine ex pura ſatus hunc in orbem
Fulget, & cunctis populis niteſcit
Vita ſaluſq́;.
Carne veſtitus puer ille noſtra
Noſter eſt Princeps pius & Redemtor:
Nam Patri nos æthereo perenni
Fœdere iungit.
Gratias ergò tibi, CHRISTE IESV.
Dicimus quòd ſis homo factus: ô nos
Libera à regno Satanæ, tuiſq́;
Legibus orna.

DE BONORVM PAVCITATE.

O curas hominum, ò friuola ſecula,
Quæ nos arripiunt conditionibus
Vanis, & nitidis illecebris trahunt
Ad Mundi ſpeciem fœdifragi leuem.
Diuerſi ſtudij cur petimus genus
Omnes tàm varium? cur placidiſſimi
Doctrinam fugimus ſaluificam Dei,
Cœlum, terra, fretum, quo duce permanet?
Hi gaudent Cereris munere turgidæ:
Illos Bacchus ouans allicit, & Venus:
Quidam diuitijs ſunt malè dediti,
Aut ſeſe omnigenis fraudibus inſtruunt.
At pauci placidè Cœlica dogmata
Conſeruant Domini: qui pius & bonus
Hanc gazam ſequitur, fulgidus & potens
Stabit viuifici præſidio Dei.
Quare vos pueri, vosq; boni ſenes,
Et tu virginei turba chori proba,
Exultate ſimul læticia pia,
Monſtrantes Domino corda fidelia.
Virtus vera manet, vera manet Fides:
Durat Relligio pura: viget decus
Quod Muſæ tribuũt: Nympha decens viret
Fontis Caſtalij: cætera mors rapit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

CANTICVM SANCTORVM AMBROSII ET AVGVSTINI, METRO Sapphico deſcriptum.

TE Deum laudamus & inuocamus,
Teq́ſ ſublimem Dominum fatemur:
Nempe tu celſi ſuper alta Cœli
Regna niteſcis.
Te patrem æternum veneratur Orbis,
Angeli ſancti, ſimul & poteſtas
Omnis extollit tua facta, teq́ſ
Sidera laudant.
Te canit florens facie Cherubin:
Te ſonat flagrans animo Seraphin:
Et tibi dulces modulatur odas
Cœlicus ordo.
Sanctus es Diuûm Pater ò ſupreme:
Sanctus es Patris venerande Fili:
Sanctus es magni Patris atq́ſ gnati
Lucide flatus.
Trinus ac vnus Deus inuocaris
O potens exercituum, atq́ſ princeps
Gloriæ: nam te Duce ſunt creata
Aſtra ſolumq́ſ.

Turba te cantat ſacra Apoſtolorum:
Te Prophetarum chorus, en, honorat:
Laude te ſumma celebris corona
Martyrum adornat.

Te per orbem Eccleſia ſancta latum
Perſonat Patrem, ſonat atq; Natum:
Spiritum ſanctum reſonat, pijs qui
Gaudia præſtat.

Chriſte Rex, ô Rex generoſe Chriſte,
Gloriæ Princeps, ſimul atq; Patris
Optimi Gnate, & bone ſempiterni
Flaminis autor:

Tu genus mortale hominum Barathri
Lege de ſæui rigida paratus
Soluere, intacta lepidum putabas
Virgine naſci.

Tu nigræ mortis violenta ſceptra
Fortiter frangens Deus, & Patronus,
Gentibus ſummi reſerata monſtras
Limina Cœli.

Tu Patri par imperio ac honore
Ad Dei dextram loca prima ſeruas,
Vndè venturus referes ſeueri
Iudicis ora.

Ergò tu nobis miſeris miniſtris
Subueni, quos tu placidè redemtos
Sanguine effuſo rapuiſti ab imi
Faucibus Orci.

Fac tuis nos cum famulis perenni
Gloria tandem numerarier: fac
Vera contingat populo fideli
Fama, ſalusq́;.

Daq́; ſinceram benedictionem
Omnibus qui te celebrant amantq́;,
Quos & hæredes tua, Chriſte, virtus
Reddit Olympi.

Mitis ac illos rege, ne proteruis
Fluctibus pulſi pereant, & illos
Gratis extolle, ò Deus vſq; & vſq;
Prouidus orna.

Singulis horis benedictione
Candida nos te reſonamus, ò Rex:
Rex, tuum nomen vehimus celebre
Omne per æuum.

Hoc die nos tu, Deus, ò guberna,
Vt tibi verè placeamus, atq;
Triſte peccatum fugiamus ore,
Pectore, facto.

O Deus noſtri miſerere: noſtri
O Deus lenis miſerere: nam quis
Perferet magni Domini, atq; ſummi
Principis iram?

Dextra nos fulgens Domini gubernet:
Nosq; conſeruet pietas IEHOVAE,
Vt fide certa cupimus benigno
Fidere Chriſto.

Fixa ſpes in te mea ſemper hæret,
O Deus: nam te Duce non pudore
Obruar donec mihi iuſta vitæ
Tempora currunt.

IN RESVRRECTIONEM CHRISTI DOMINI.

CVlpa mortales miſeros grauârat:
Sed malum noſtrum mediator vnus
Suſtulit paſſus cruce, tumq; terræ
Viſcere clauſus.

Morte proſtrata Dominus ſepulcro
Exijt Chriſtus rediuiuus heros:
Nosq; damnando modò liberauit
Victor ab Orco.

Ergò pacatis animis canamus
Inclytum Regem, iuuenes ſenesq́ue:
Vrbibus pagisq́ue ſonet benigni
Nomen IESV.

DE CHRISTI DOMINI MORTE ET VICTORIA.

Dũ petit horrendũ Crocodilũ paruus Ichneumon,
Infeſtoq́ue hoſti bella cruenta parat:
Se madida primùm prudenter mergit arena,
Et tenui pulcra voluitur arte, luto:
Hinc patulum vaſti contemplans oris hiatum
Inſilit in fauces, trux Crocodile tuas:
Vnde per immenſi ſinuoſa volumina ventris
Progreſſus, cautè viſcera dira ferit.
Exiliensq́ue feri lætatur funere monſtri:
Hoſteq́ue proſtrato, pectore celſus, abit.
Sic quoq́ue (diuinas ſi res conferre minutis
Naturæ rebus verbaq́ue ſacra licet)
Horrida fracturus reprobi Cacodæmonis arma
Mittitur in mundum Filius ipſe Dei:
Induit humanam qui natus virgine carnem,
Crimine pro noſtro vellet vt eſſe λύτρον.

Hic igitur Morti, ſæuoq́ obiectus Auerno,
Indomita ſtrauit Tartara monſtra manu.
Vaſtauitq́; ferum, noſter Deus ille, Barathrum
Tænarij quaſſans colla ſuperba ducis.
Tùm rediјt, Terra diſrupta, Victor honeſtus,
Ille homo præcellens, viuidus ille Deus:
Ille Deus Chriſtus, Rex ille coruſcus Iëſus:
Ille ſui mens & vox generoſa Patris.
Mors languet, Stygij vis eſt repreſſa Tyranni,
Semine virgineo vipera trita iacet.
Limina ſtelliferi iam nunc pandũtur Olympi,
Et datur à Chriſto principe vera ſalus.
Vera ſalus gratis contingit, munere Chriſti:
Quid nugis turges, raſa caterua, tuis:
Salue Rex fulgens, ſalue præclare ſacerdos:
Crimina tu deles noſtra cruore tuo.
Tu verbi æterni vitales ingeris vndas
Cordibus illorum, qui tua iuſſa colunt.
Eſto precor nobis mediator, & eſto Patronus,
Nempè tua cauſſa nos amat ipſe Pater.
Gratia Chriſte tibi, tu nos defendis & ornas:
Tu requiem donas, gratia Chriſte tibi.
Qui Patre cũ sũmo Deus, et cũ Flamine ſãcto,
Cœlũ, terrã, & aquas, trinus & vnus habes.

DE

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

DE AMORE VERITATIS.

ESSE quid dicam, quòd honeſta ſpernant
Sacra mortales miſeri, Deumq;
Negligant praui, fugitiua verò
Gaudia carpant?
Qui Deo viuo cupiunt probari,
Et pij ciues adamant vocari,
Principis Chriſti bona corde fido
Dogmata quærant.
Quiſquis inſano ſtudio laborans
Appetit Mundi vicioſa dona,
Hic opes Cœli rutili perennes
Neſcit amare.
Spiritus magni Patris atq; Nati,
Qui Deus verax es & inuocaris,
Cordibus noſtris, rogo, vanitates
Eripe cunctas.
Redde nos promptos & amantiores,
Regis vt noſtri pia iuſſa toto
Corde ſeruemus, fideiq; rectæ
Luce fruamur.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

DE VSV ET FRVCTV RESVRRECTIONIS CHRISTI Seruatoris.

CHriſtus ab excelſo cœlo demiſſus in Orbē,
Qui Maria fulget virgine natus homo:
Pro nobis miſeris mortem cruce paſſus amaram
Fortiter excuſsit crimen, Adame, tuum.
Et prohibens noſtram per propria fata ruinam,
Vulnere ſanauit vulnera noſtra ſuo.
Tartara confregit, Mortis triſtiſsima regna
Vaſtauit: ſcelerum ſuſtulit omne chaos.
Egreſſus tumulo Princeps, & victor honeſtus,
Tumq́; Triumphator iam nitet, atq; Deus.
Dicta Prophetarū modò ſunt completa ſacrorū:
Chriſtus enim ſolus regia ſceptra tenet.
Ergò pij gaudete omnes, capita alta leuate,
Carmina ſublimi dicite celſa Duci.
Dux noſter Chriſtus peccati robora fregit:
Iuſticia nitida pectora fida beat.
Dux noſter Chriſtus fera mortis vincula rupit:
Libertasq́; pijs iam datur atq; ſalus.
Dux noſter Chriſtus totum contriuit Auernum:
Cœtibus electis gaudia læta patent.

Quod

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

Quod veteres Patres voto petiêre frequenti,
Aetherei Patris contigit illud ope.
Nam Deus iccircò dilectum tradidit Orbi
Gnatum, ne miſeris gratia clauſa foret:
Sed potius cunctis fauor vt credentibus eſſet,
Fulgeretq́; pijs vita beata choris.
Propterea̓ cuncti Chriſtumq́; Deumq́; colamus:
Diuinum cultum Numina ſancta probant.
Maximus eſt cultus Regi confidere Chriſto,
Et facere æterni iuſſa benigna Patris:
Votaq́; ſincero non improba fundere corde,
Et puras caſta voce ſonare preces.

AD DEVM, BELLI PESTISQVE TEMPORE.

INgruunt nobis miſeris pericla
Multa: nunc peſtis fera, nunc tumultus
Bellicus feruet, volitatq́; paſſim
Frausq́; dolusq́;.
Angelos caſtos, Deus alme, mitte
Qui tuum cœtum tueantur: vt nos
Cordibus gratis tibi perſonemus
Carmina læta.

Fortis es turris clypeusq́ fulgens,
O Deus, cunctis tibi qui modeſta
Mente ſe ſubdunt: nec enim vocantes
Fallis amicos.

DE MORTVORVM SEPVLTVRA ET EORVNDEM REſurrectione, Honeſtum contra Epicureos teſtimonium, ex græco Phocylidis.

Corpora funereis infer demortua tumbis.
Nec tumulos laceres: nec quæ nō prodere fas eſt
Sub faciem Solis ponas, Numenq́ laceſſas.
Artus compactos hominis diſiungere, fœdum.
Spes quoq; certa monet redituras lumē in altū
Exuuias hominum: Diuiq́ deindè vigebunt.
Vis animæ ſiquidem defuncto corpore viuit:
Eſt & imago Dei dans membris Spiritus vſum.
Corpus humo trahimus, mox & tellure ſubacti
Soluimur in cineres: conſcendit Spiritus aſtra.

DE VITA AETERNA.

Dulcia

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

Dulcia dum meditor cœleſtis gaudia vitæ,
Læticia mira mens mea tota ſtupet:
Omnia ſunt illis duce formoſiſſima Chriſto:
Felix qui præſens munera tanta capit.
Non ibi ſunt morbi, non eſt ibi triſtis egeſtas,
Non bellum reprobũ, non macilenta fames.
Non ibi fraus regnat, non regnat ſæua Tyrannis,
Non ſcelus ac feruens impietatis opus.
Pectora iuſtorum Regi ſunt dedita Chriſto,
Præſidioq́ Dei munia pacis agunt.
Non odium, non ira nocens, non impetus atrox
Turbabit fremitu corda beata vafro.
Non ibi ſomnus erit, non torpor curáue mordax:
Non Acherontigenæ ſpicula mœſta necis,
Blanda quies animos vero mulcebit amore,
Flos veluti ſenſum dulcis odore fouet.
Eià bonis illic conſurget quanta voluptas:
Pectoribus venient gaudia quanta pijs?
Lumine tunc noſtro rutilantis lumina Solis
Vincemus: magni ſunt bona tanta Dei.
Qualis erat Chriſtus celſo dum monte niteſcens
Monſtrabat ſocijs ora decora ſuis:
Tales nos erimus, tali rapiemur honore,
Cùm cœli nobis attribuentur opes.

Hei

Hei mihi quòd teneræ ſim paruo robore linguæ,
Dicere nec dignè gaudia tanta queam.
Et quis honorifici depinget Principis aulam?
Quis ſatis ornabit regna coruſca Dei?
Magna Dei eſt virtus & inenarrabile robur,
Cui ſubſunt nitidi ſidera clara poli.
Aeternæ qui Rex vitæ gerit aurea ſceptra:
Cuius & ex omni parte beata domus.
Illius vrbs rutilat puro præclarior auro:
Effulget populi ſub pede gemma frequens.
Inclyta gens citharis & dulci carmine gaudet
Decantans viui nomina iuſta Dei.
Prò, lætor quoties hæc imo pectore voluo:
Lætor, & vt videam tam bona vera rogo.
In cælo nos nempè Deum templabimur ipſum:
Ipſeq; gaudebit nos ſociare ſibi.
Iuſticia ornati niuea, per munera Chriſti,
Angelicis erimus mixta caterua choris.
Cognitio caras iunget quoq; mutua mentes:
Et veteres quiuis, vt puto, noſcet auos.
Sic in monte ſacro, quos non agnouerat antè,
Heliam & Moſen nouit adeſſe Petrus.
Nulla poteſt ætas corrumpere corpora noſtra,
Sidereo cùm ſunt conſociata Deo.

In Cœlo nam mille anni (ſic omnia vernant
Sedibus æthereis) ſunt velut vna dies.
Quòd benè Seruator cernens, hæc ſecula ſpreuit
Arripuitq́ue agili cœlica ſceptra manu.
O vos mortales, toto qui viuitis Orbe,
Dogmata compoſito corde tenete ſacra.
Et cùm tempus erit felici cedite fato:
Hæc eſt vita grauis: vita futura, bona.
Vita futura bona eſt: ſoli modò fidite Chriſto:
Sola viam ſolidam pandit ad aſtra Fides.
Et labor vt noſter præclaro fine niteſcat,
Tu ſtudium noſtrum, Chriſte benigne, rege:
Nam Patre cum ſummo viuis Flatuq́ue perenni,
Aeternus Princeps perpetuusq́ue Deus.

VOTVM QVO SE CHRISTO SERVATORI ECCLESIA commendat.

CHriſte, Rex meus & Deus,
Luce qui rutilans ſacra
Solis igniferi iubar
Pandis: arbiter optime,
Gentiumq́ue redemtor.

Pande,

Pande, Chriſte, tuum decus,
Pande, Chriſte, pias manus,
Pande lumen amabile,
Pande cor venerabile,
Et mei miſerere.
Pande candida brachia,
Pande dulcia viſcera,
Pande mellea dogmata,
Pande munera myſtica,
Pande te mihi totum.
Terge tu lacrimas meas,
Deme crimina tu mea,
Tolle quæ mala me premunt,
Redde quæ mihi proderunt,
Chriſte ſumme Patrone.
Me tuo inſere pectori,
Meq́ꝫ Rex bone dilige:
Corpus ac animam meam
Spiritus recrea tui
Luce, meq́ꝫ guberna.
Ecce te ſine langueo,
Mæſta mens iacet & mea:
Quando me tibi copulas,
Gaudio placido fruor,

Speq́ꝫ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

Speq́ʒ viuo perenni
Chriſte tu bonus omnibus,
Qui tuum auxilium vocant:
Candor, & mera gratia,
Pax, fauor, requies, ſalus,
Rege te generantur.
Rege te genitor tuus
Nos amat, iuuat, & fouet:
Verus es Deus ex Deo,
Lumen es quoqʒ luminis,
Lux es optima Mundi.
Te colant igitur ſenes:
Te canant iuuenum greges:
Tùm tibi tribuant decus
Fœminæ venerabiles,
Floridæq́ʒ puellæ.

AD SPIRITVM SANCTVM.

O Patris, ò Chriſti Domini præclara poteſtas,
Qui Spiritus datus venis:
In bona corda ſacrũ placidè qui fundis amorẽ,
Sanctiſsimumq́ʒ gaudium:

Tu vigor æternus, tu lumen luminis alti,
Et es Deus vero ex Deo.
Te quicũq; negat, tua nec ſacra numina ſentit,
Hic Ethnico eſt abiectior.
Ingenuum ſanctæ mihi præſta mentis acumen,
Et excita pectus meum.
Auſpice te doctas placidè tentabo Camœnas,
Tentabo cultas Gratias.
Liuorem ergò meo de pectore pelle nocentem,
Iraſq; & affectus malos.
In Patris æterni verbo, Chriſtiq; fauore,
Fac vt quieſcam molliter.

DE COMETA AD PLEBEM SVAM COMMONEFACTIO.

AVreus cùm Sol radios reflectit
Flammeos, noſtraſq; relinquit oras:
Heſperus verò redit, & refulgent
Sidera Cœlo:
Tunc nouam ſtellam video moueri
Luminis mira facie coruſci
Feruidam: tales reputantur ignes
Nempè Cometæ.

Curpo-

Cur polus nobis noua ſpectra gignit?
An Deus frruſtrà ſinit hæc videri?
Scilicet noſtro metuenda pœna
Imminet orbi.

Horreo viſis: quatitur flagellum:
Virga monſtratur pueris probroſis:
Nî Deum votis, precibuſq́ puris
Flectimus, actum eſt.

Ergò plebs, ô plebs animoſa, magno
Subde te Chriſto: precibuſq́ caſtis
Surge: nam cedunt, precibus piorum
Noxia fata,

Tu roga, Rex vt bonus atq́ fortis
Floreat, vitamq́ trahat beatam,
Qui Dei verbum iuuat & decenti
Lege tuetur.

Tu roga, tempus fluat vt pudicæ
Dulce Reginæ, ſobolemq́ totam
Regiæ ſtirpis decoret potenti
Numine Chriſtus.

Tu roga, pax vt proceres & omnes
Incolas regni pia iungat: ah quid
Proderunt lites, & amara fœdæ
Iurgia cædis?

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

Tu roga, ne te ſtudio maligno
Deditam, bello laceret cruento,
Sanguinem noſtrum ſitiens furenter
Barbarus hoſtis.
Tu roga, ne te grauis vrat æſtus,
Neu tui campi ſegetes negent, neu
Lurido mollis ſcateat repentè
Vnda veneno.
Tu roga, ne te violenta peſtis
Vrgeat: peſtis ſiquidem ſeuera
Vltio eſt, qua templa, Scholæ, domusq́;
Sæpè fatiſcunt.
Tu roga, ne (proh, dolor haud ſinit me
Eloqui quod mens videt) eruditos
Auferat fatum, tibi qui ſalutis
Dogmata pandent.
Heu, quid his addam? fera Lerna multis
Pullulat monſtris: opus eſt medela
Cœlica: dirus mala comminatur
Tanta Cometes.
In graui nil eſt melius periclo
Quàm Deum puris animis rogare,
Candidis atq; in ſtudijs modeſtam
Ducere vitam.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

O Pater claro reſidens Olympo,
Nos tuam ſtirpem rege gratioſis
Dogmatis ſacri radijs, pioſq;
Protege cœtus.
Chriſte Rex Regum, ſobolesq; ſummi
Patris, ò noſter mediator idem,
Sis memor noſtri: Duce te, quieta
Pace fruemur.
Spiritus viuax Patris atq; Nati,
O Deus, noſtras animas beata
Luce demulce, tenebrasq; cœcæ
Diſcute mentis.
Trinus atq; vnus Deus es vocandus:
Vnus & trinus Deus es colendus:
Da bonam ſortem, mala rumpe mœſti
Robora fati.

PRO CÆSARE ET CHRISTIANIS PRINCIPIBVS PRECATIO.

NATE Dei viui, Deus ipſe, decēſq; patrone,
Seruator Mūdi, Cœli decus, optime Chriſte,
Quem Pater omnipotens alto demiſit Olympo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

Carnis vt humanæ maſſa veſtitus honeſta
Victima pro nobis fieres, & fortibus armis
Vaſtares rigidi Satanæ fœdiſſima regna
Victor ouans, Cœlumq́ dares mortalibus ipſis.
Te rogo per duræ triſtiſſima vulnera mortis,
Corporis atq; tui rogo per ſurgentis honorem,
Perq́ tuam maieſtatem dextramq́ potentem
Oro, iterumq́ oro: fumos diſpelle nocentes
Igniuomiq́ dolos Caci: confunde ſophiſtas
Impuros: Turcamq́ ferum, dirosq́ Tyrannos
Frange potens: durisq́ malos conſtringe lupatis.
Aſſere te princeps fortiſſime: ſuſcipe ſanctam
Sanctorum cauſſam. rege pronus pectora noſtra
Flamine Cœleſti, rapidæ ne Mortis in hora
Cedamus Stygijs victi terrore moloſſis.
Cæſaris ingenuos noſtri defende labores
Et rectum ſtudium diuina luce guberna,
Illius & iuſtis vires conatibus adde,
Vt tua, ſumme Deus, confirmet dogmata ſana,
Et pietate bonos ſeruet mitiſſimus heros,
Legibus ac iuſtis, armiſq́, ferocia monſtra
Concutiat, reprimatq́ malos colloq́ proteruos,
Qui nec iura hominū nec numina celſa verē-
Da populis Reges ſactos, fidosq́ magiſtros (tur:
Docto-

Doctoresq́ pios: & caſtos protege cœtus
In quibus ætherei fulgent ſacra lumina verbi,
Atq́ ſacramentum rectè ſeruatur vtrunq́,
Nec corruptelis ſqualent Cœleſtia ſigna.
Hìc ô pande tuum robur fortiſsime CHRiſte:
Solus enim regnas, flores in ſecula ſolus,
Solus es æternus cum Patre & Flamine ſancto
Rex Deus & Dominus Cœli, Terræq́, Mariſq́.

VOTVM PRO DIVINA DEFENSIONE.

REerum creator, maxime Rex Deus,
Dextram potentem fac precor exeras:
Roburq́ monſtrans glorioſum
Nos releua placido fauore.
Sic liberati de Satanæ iugo
Diro procacis, te ſtabili fide
Cantabimus noſtrum Patronum
Teq́ Deum celebrem colemus.
Ductore Chriſto tu, pater vnice,
Votum piorum ſuſcipis omnium:
Et Rege Chriſto tu fideles
Flamine viuifico gubernas.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

ARGVMENTVM CANTIOnis D. Nicolai Hemmingij de quotidiano vſu crucis Dominicæ.

QVI crucem Chriſti decorare gaudet,
Ac frui dono nitido ſalutis
Poſtulat veræ, ſibi quinq; ponat
Ordine gemmas.

Nam Fides, certè, eſt precioſa gemma,
Quæ Dei gnatum ſtabili vigore
Suſcipit, pulſans Satanæ proterui
Dira venena.

Indè manſuetudo decens niteſcit,
Quæ Deo ſeſe placidè ſubinfert,
Ponit & motus tumidos fideli
Mente quieſcens.

Hinc pij vis obſequij reſultat,
Quæ voluntati Domini obſecundat,
Nec probat carnis probra, ſed ad ipſum
Tendit IESVM.

Poſteà ſeſe patientia offert,
Quæ crucis damnum tolerat libenter:
Nixa nam Chriſto furioſa ſecli
Tempora vincit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

Caritas demum ſpecioſa fulget.
Quæ Fidem monſtrat niueam, pioſq;
Adiuuat cœtus, meritumq; dignis
Præbet honorem.
His crucem gemmis decora beatam,
Vt frui poßis bonitate ſummi
Patris, & Chriſto Duce, læta cœli
Regna capeſſas.

DE CRVCE DOMINI.

IN galeis mitriſq; crucem portare, nitentem
Splendidulis gemmis, aulica turba ſolet,
At quantò meliùs veris virtutibus illam
Ornatam, in laudes, pectore ferre, Dei.

PRECATIO VOTIVA PRO PECCATORVM REMISSIONE.

QVàm veſana furit reprobæ petulantia carnis,
Inq; Deum lites actio noſtra mouet.
Hinc animus mœrens, diuina ſaucius ira
Languet, & æterni iudicis ora fugit.
Redde mihi mentis robur, Deus optime: redde
Cor ſanum: medicus tu mihi nempe bonus.

Sunt

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

Sunt mea, confiteor, peccata immania, ſed tu
Auxilium poteris ſuppeditare mihi:
Me tibi ſubijcio, miſerabile percute corpus,
Hanc animam dum tu viuificare velis.
Chriſte Deus, Patrone potēs, hominumq́; Redemptor
Te duce pacati gaudia cordis agam.
Nā tua mors eſt vita mihi, tuus ecce triumphus
Me iuuat, & pietas me tua blanda fouet.
Felix qui ſoli Chriſto confidere nouit,
Illius & promto pectore iuſſa facit.
Hoc ego dulce iugū deinceps portabo libenter:
O rege conatum, maxime Chriſte, meum.

MEDITATIO QVOTIDIANA.

Volue Dei legem: deplora crimina vitæ:
Fide Deo: Satanæ fœda venena fuge:
Vtilis eſſe ſtude cunctis: te noſce decenter:
Vtere præſenti ſorte: memento mori.

DE LEGE ET EVANGELIO.

CVm Dominus Legē promēs in monte Sinai
Monſtraret mentis lucida ſenſa ſuæ:
Cornigeri facies tunc Moſis luce micabat
Iſraëlitis non toleranda viris.
Sed nitidum Vates facto velamine vultum
Claudens, expoſuit iuſſa verenda Dei.
Quid mirum? Legis vis tam præcelſa niteſcit
Vt terrore graui pectora cuncta premat.
Et niſi maieſtas iuris tàm clara tegatur
Manſueti ductu conſilioq́; Dei:
Ferri tanta poteſt nulla ratione poteſtas
Tantaq́; lux quam Lex tetrica ferre ſolet.
Ergò Euangelij nobis doctrina ſereni
A Patris æterni funditur alma ſinu.
Hinc veneranda fluit veracis gratia Chriſti,
Lumina quæ Legis non toleranda tegit.
Chriſtus enim Rex eſt mitis, placidusq́; Monar-
Humanū pronus qui fouet vſq; genus. (cha.
Hic peccatores miſeros curatq́; leuatq́;,
Quos dolor admiſſi criminis acer agit.
Vt propriam verò poſſis agnoſcere culpam,
Sæpè tibi in promtu concio Legis erit.
Hoc etenim ſpeculo cor, mores, verba probabis:
Quippe tuum cernes protinus indè ſcelus.

Nam

Nam ſimul ac Legem præſenti pectore voluis,
Hei mihi peccator quàm manifeſtus ades:
Quàm tunc ſe prodũt animi ſub vulpe latẽtes:
Quàm tunc in foribus pœna parata ſcatet.
Tunc gemitus mœſti, luctusq́; oriuntur amari:
Infelix vermis tunc tua corda vorat. (tis
Quò miſer euades? hinc Mors, hinc ira Tonã-
Cernitur hinc tetræ ſqualida flamma Stygis.
Deſine curarum: regnat Seruator IESVS:
IESVS morte ſua crimina noſtra leuat.
Optimus eſt hominis medicus credentis Ieſus:
IESVS Victor ouans pectora noſtra regit.
Hæc Euangelio ſancto ſolamina dantur,
Quo nihil in Mundo fertur amabilius.
Dulcius an quicquam poterit mortalibus eſſe,
Quàm quòd per Chriſtũ turba beata ſumus?
A lacrimis quiſnam ſeſe cohibebit amicis,
Aſpiciens in nos pectora prona Dei?
Pro nobis miſeris ſeſe deuouit IESVS:
Ira Dei ceſſit: reddita vita nitet.
Lege ſacra moueor, terroreq́; ſæpè fatigor:
Vox Euangelij me veneranda iuuat.
Gloria, Chriſte, tibi: Legem tu pandis honeſtã:
Tu meritis imples omnia iura tuis.

Tuq́;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

Tuq; tuis humeris imponis pondera noſtra:
Et facis ætherea nos habitare domo.
Fac precor vt niteat veris Eccleſia donis,
Vtq; pio cœtu dogmata vera ſonent.
Pelle Sophiſtarum furias, compeſce Tyrannos,
Collaq; verſuti Dæmonis atra quate.
Solus enim regnas Deus immortalis & vnus
Cum Patre Cæleſti, Flamine cumq; ſacro.

PRO DONO BABTISMI, ABSOLVTIONIS, ET COENAE Dominicæ, Euchariſticon.

O Vas tibi dicam, Deus alme, grates,
Qui ſacro paſcis pia corda verbo:
Et tuam læto reſeras benignus
Dogmate mentem?
Motus en noſtra ruditate ſigna
Clara iunxiſti, quibus expediti
Ritè voluamus tua poſtulata
Corde fideli.
Nanq; Baptiſmum generationis
Vis nouæ dici nitidum lauacrum,
Quo tibi iuncti fidei vigemus
Iure decentis.

Sed rebellantes quoniam frequenter
Mergimur tetris viciјs, dediſti
Candidas leges, quibus abſolutos
Excipis vltrò.

Cœna nos Chriſti quoq; gratioſa
Firmat in veræ fidei vigore,
Pane dum corpus iuuat & cruorem
Sumere vino.

His fidem donis, Pater alme, noſtram
Mitis exorna: ſimul atq; Verbum
Fac tuum latè vigeat ſonetq;
Principe Chriſto.

Sic tuæ laudes celebres in æuum
Omne durabunt, Deus ô triformis:
Vnus & Trinus ſiquidem probato
More vocaris.

SEQVVNTVR HYMNI SOLENNES QVATVOR,

Quos ipſe autor ad Harmonias teſtudineas decantare conſueuerat.

AD DEVM PATREM:

O Salue Pater vnice,
Et fer præſidium pijs,
Qui promti celebrant tuum
Fido pectore nomen.
Vnus tu DEVS omnium
Regnas ſecla per omnia:
Noſtris prima parentibus
Tu Rex iura dediſti.
Diris tu colubrum vaſrum
Pulſaſti rigidus minis:
At nos dogmate cœlico
Promiſsisq́; leuaſti.
Tu ducens genus Iſaci
Ex Aegyptiaco iugo,
Monſtraſti validas manus
Diuinumq́; vigorem.
Altis nubibus intonans
Vocem magnificam dabas,
Carum cum tibi Filium
Dilectumq́; vocares.
Qui miris rationibus
Prodis fortis & integer,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

Mortales miſeros iuua
Rerum ſumme creator.

AD DEVM FILIVM.

SAlue Nate DEO DEVS,
Et fer præſidium pijs:
Ortus Virgine tu proba,
Noſtra carne nitiſcis.
Tu Sermo Patris optimi
Et felix ſapientia,
Seruili Satanæ iugo
Nos educis amanter.
Agnus tu nitidiſſimus
Tollis noxia crimina
Mundi: tuq́ꝫ tuis viam
Lætam pandis Olympi.
Tu Sol iuſticiæ ſacræ
Splendes: tu radijs tuis
Demulces pia pectora,
Vitam dasq́ꝫ perennem.
Signis, dogmate, robore
Princeps perpetuus viges:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

Victa morte polum tenes
Patri par in honore.
Qui Rex diceris inclytus
Et ſecli bonus arbiter,
Audi vota precantium
O dulciſsime CHRISTE.

AD DEVM SPIRITVM SANCTVM.

SAlue lucide Spiritus,
Et fer præſidium pijs:
Tu ſummi digitus Patris
Seruas cuncta creata.
Dum verbo Pater exhibet
Formam rebus amabilem,
Blandus corpora tu tuo
Reddis viua calore.
Tu, ceu pura columbula,
Claris nubibus euolans
IESVM ſaluificum notas
Baptiſante Ioänne:
Linguas fuſus in igneas,
CHRISTI diſcipulos doces

Regis dogmata Cœlici
Multis pandere linguis.
Tu ſternis precibus viam
Caſtis: tu regis optimis
Mentem conſilijs: bonæ
Tu das munera Pacis.
Qui lux aurea cordium
Fulges, visq̃; Dei, DEVS,
Pulcro nos rege lumine
Conſolator amice.

AD SANCTAM TRINITATEM.

SAlue fulgida Trinitas,
Salue nobilis Vnitas:
Vnus nam DEVS es, licèt
Sis Perſona Triformis.
Maieſtate potens tua
Tellurem, Mare, Sidera
Feciſti, ſimul & regis
Quicquid continet Orbis.
Verùm præcipuè iuuas
Mortales homines DEVS,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

Quorum corpora tu foues
Et mentes ſimul ornas.
In noſtras animas enim
Temet fundis amabili
Flamma, dulcis vt expetit
Nympham ſponſus amicam.
O quanta eſt tua ſuauitas
Qua nos excipiens tenes:
O quanta eſt tua gratia
Qua nos vſq; gubernas.
Grata nos ope ſoſpites
Hac dum valle morabimur:
Demum ſiderea domo
Luſtres omne per æuum.

GENETHLIACON IN CHRISTVM SERVATOREM.

Nūc tua, Chriſte, canā natalia: nā mihi pect9
Flagrat amore tui: tu ſuggere verba cancti
Magni gnate Dei, Deus ipſe: meisq; Camœnis
Pande viam rectam tractandi dogmata tanta.
Tempus erat lætum, rutilabant aurea vultus
Lumina Phœbæi, Paradiſi nobilis hortus

 Fructi-

Fructibus omnigenis atq; omni flore nitebat,
Omnia vernabant miro pulcerrima cultu,
Fortunaq́; potens regnabat primus Adamus
Aeuæ coniunctus ſociæ: quibus inclyta virtus,
Mens ſapiens, prudens ſermo, dulcedoq́; morũ,
Corporis egregiæ vires animiq́; venuſtas,
Et reliquæ dotes fulgebant luce decenti:
Calliduli donec colubri ſub imagine Dæmon
Adueniens ferret ſecum lethale venenum
Mendacis linguæ, quo debilitauit vtrunq;,
Amborumq́; fidem quaſſauit, fraudibus atris,
Auulſitq́; Deo mentes animosq́; duorum.
Illi (prò facinus, prò deteſtabile crimen)
Arbore fatali decerpta nocentia mala
Guſtant, & ſeſe tota cum ſtirpe volutant
Sordibus obſcuris viciorum: fata ſequuntur
Dura Necis, miſeros agitat mens conſcia facti,
Seductosq́; premunt furiæ Stygiusq́; Tyrannus.
Hei mihi quãta lues morſu manauit ab iſto?
Quàm diſturbauit caſus miſerabilis Orbem?
Ipſe Deus ſiquidem iuſta ſe ſuſtulit ira
Condemnãs hominẽ, cùm ſummi Patris imago
Filius æternus ſolio ſic infit ab alto.
Iuſtus es alme Pater: iuſtam quoq; concipis irã:

Et me-

Et merito damnas hominum teterrima facta.
Affligiſq; malos, & pectora praua coërces
Iuſticia recta: ſed ne, Pater optime ſtirpem
Humani dele generis: pius atq; benignus
Reſpice mortales miſeros, præbeq; medelam
Pectoribus mæſtis, nec ſubtrahe dona ſalutis
Credenti turbæ: viuat tua dulcis imago
Mens hominis, terræ reddatur vile cadauer.
Sed tamen ex terra mortalia membra reſurgãt
Sedibus æthereis vt viuificata niteſcant.
Et rata cum ſemper tua ſint decreta, nec vlla
Lege queant frangi quin crimẽ pœna ſequatur,
Ipſe ego λυτρον ero præſens pro crimine Mundi
Virgine natus homo. Per me ſuccumbet Auerni
Dux niger, et ſcelerũ grex prauus, Morsq; nefã-
Credentes verò decorabit vita perennis, (da:
Qui tibi pro tantis meritis tantoq; fauore,
Magne Pater, grates dicent, & ſede beata
Carmina ſancta canẽt, & ſoluent cãdida vota.
Vix ea fatus erat: cùm gnatũ mollibus vlnis
Excipiens genitor, placido ſic reddidit ore.
Tu meus es gnatus, tua candida verba capeſſo:
Dono tibi gentes, dono tibi fulgida ſceptra:
Do regale tibi nomen, do ſplendida regna:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

Collige præclaros animos, confringe malignos:
Te qui ſuſcipient, æterna luce fruentur,
Hæredesq́ʒ poli dicentur, cætera turba
Excidet, ac tetræ Stygis in ſquallore iacebit.
Hæc Pater: arriſit gnatus: pia fœdera ſanctus
Veridico teſtis firmauit Spiritus ore.
Hinc veneranda fluunt noſtræ promiſſa ſalutis,
Pectore quæ fido reſipiſcens priſcus Adamus
Verſauit, voluitq́ʒ frequens miſerabilis Aeua.
Nam quæ vox potuit dici iucundior illa,
Quæ de venturo muliebri Semine lata eſt?
Hac ſe voce Patres ſuſtentauêre fideles,
Et Reges, magniq́ʒ Duces, ſacriq́ʒ Prophetæ.
O quoties illi redolentia tura ferentes,
Ponentesq́ʒ aris pingues, de more, bidentes,
Has ſecum voces hæc & ſunt verba locuti.
Exere te ſemen promiſſum, naſcere Mundo,
Et collide caput colubri, toruumq́ʒ Draconem
Frange potens, pacemq́ʒ pijs concede perennē.
ABRAMVM taceam, cui nomē longius vna
Litterula exilijt diuinitùs: illéne, quæſo,
Cuncta ſuæ iuſſus præputia ſcindere gentis,
Auribus excepit fidis promiſſa nouata
Semine de læto, quod naſci debuit Orbi

Tempo-

Tempore completo? Nam, ne dubitatio cæca
Concuteret miſeros animos de Rege futuro,
Naſcendi tempus, geneſin, ſtirpemq́; verendã,
Et patriam caram deſignauêre Prophetæ
Fatidico pleni flatu, ſacroq́; vigore
Aethereæ Sophiæ rapti, ceu Biblia monſtrant,
Biblia non hominum vano congeſta labore,
Verùm conſilio ſummi decorata Parentis
Ad decus humani generis veramq́; ſalutem.
Ergò vbi completũ nũc demùm tẽpus adeſſet,
En Deus aligerum Gabrielem miſit Olympo,
Nazaream iuſſus qui nuncius iret in vrbem
Ad Mariam natam Dauidis ſtirpe puellam,
Conſiliumq́; ſacrum ſolenni voce referret.
Ingrediens igitur diuinæ virginis ædes
Angelus, eximio voces has edidit ore:
Salue Nympha decens, tibi gratia Cœlica Rege
Omnipotente datur: Dominus te diligit ipſe:
Fœmineas inter nam tu benedicta cateruas
Conſpicuo caput excellens extollis honore.
Vocibus his virgo tenerum perterrita pectus,
Mente reuoluebat, quam ceperat aure, ſalutẽ.
Ad quam confeſtim conuerſus nuntius ales,
Ne timeas, inquit, Maria, ò pulcerrima Nympha

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

Nam tibi, dante Deo, Cæleſtis gratia parta eſt.
Concipiens vtero paries hominemq́ꝫ Deumq́ꝫ
Chriſtum, quẽ IESVM tu mater amica vocabis.
Hic ſublimis erit: nam filius ille Parentis
Omnipotentis, aget vaſtata morte Triumphum.
Dauidis ſolium ſtirps hæc inuicta tenebit,
Regnabitq́ꝫ potens veteris ſuper omne Iacobi
(Crede) genus princeps per ſecula cũcta futurus
Et nullum accipiet regnum tam nobile finem.
At virgo contrà, qua poſſunt lege probari
Talia? non etenim quenquam cognoſco maritũ.
Aliger his præco reſpondens, Spiritus, inquit,
Aethereus Domini Cælo fundetur ab alto,
Et ſeſe radijs ſplendentibus inſeret in te,
Teq́ꝫ Dei viui virtus generoſa fouebit:
Vnde etiã quod mox ſanctũ naſcetur, id ipſum
Eſt genus atqꝫ decens æterni Patris imago,
Atqꝫ Dei Natus dicetur eritq́ꝫ per æuum.
Claraq́ꝫ iam ſextũ decurrit Cynthia mẽſem,
Ex quo, quæ ſterilis vitæ tranſegerat annos,
Eliſabetha vetus, veteris ſanctiſſima coniunx
Zachariæ (mulier tibi quæ cognata vocatur)
Ordine conuerſo nunc prægnans cernitur eſſe:
Nanqꝫ Deo excelſo res nulla eſt ardua factu.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

Credidit his virgo dictis, placideq́; locuta,
Ecce ancilla, inquit, Domini: fiat mihi iuxta
Decretũ magnũ, quod tu mihi nuncius affers.
In tenues poſt hæc euanuit Angelus auras,
Ad ſuperas abiens mentes plaudentibus alis.
Spiritus intereà ſanctus requieuit amanter
Indelibatæ caſto ſub corde puellæ:
At Patris æterni mens pura & ſermo perennis
Fit formoſa caro pulcræ de ſemine Nymphæ,
Effectuq́; bono ſacra ſe promiſsio pandit
Pro generis noſtri venia, pace, atq; ſalute,
Aduerſus Stygij fœdiſsima regna Draconis.
Geſtat onus virgo mater, partuq́; beato
Fit grauior: turget vitali pondere venter
Virgineus: cùm ſic Ioſephus corde grauato
(Huic etenim fuerat iam deſponſata puella)
Cogitat: ah quis nam patrauit dedecus iſtud?
Quis teneros rapuit flores, lætumq́; pudorem
Abſtulit, & tantos magna cum labe labores
Ingeſsit Mariæ, num fraus eſt iſta ferenda?
Iſte dolus nunquid pacata mente vorandus?
Quid faciã? furtim cedã, ſponſamq́; relinquã:
Hoc ſiquidem melius, quàm vitæ tædia ferre
Fœdato thalamo, durumq́; fouere dolorem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

Pectore turbato, & longo tabeſcere luctu.
Et prohibet Probitas ſociam infamare tenellã,
Inq́ vagum populum tantũ producere crimen.
Dixit, & in lentũ demittens membra ſoporem
Somno ſe reficit dulci, carpitq́ quietem:
Aethere ſublimi cùm lapſus nuncius ales
Aſtitit ad lectum, vocemq́ emiſit amicam.
Quid, venerãde ſenex, te cura fatigat inanis?
Quid dolor ignauus tibi pectore voluitur ægro?
Stirps bona Dauidis, tacitas ne funde querelas,
Neu meditare fugã, neu carã deſere ſponſam.
Nam quod concepit virgo generoſa decensq́,
Spiritus hoc ſanctus ſancto ſpiramine maſſam
Fecit carnalem puræ de carne puellæ.
Hæc etenim pariet gnatum fortemq́ bonumq́:
IESVS dictus erit puer ille, ſuumq́ beabit
Saluifico populum ſplendore, dabitq́ ſalutem
Gentibus optatam, peccataq́ tetra remittet
Credenti turbæ: Titulo Rex ille coruſcus
Immanuelis erit, quod dixerat antè Propheta
Iſaias magni Domini meditatus honorem.
Angelus iſta ſeni per ſomnia dicere viſus,
Meſſiam verum iam teſtabatur adeſſe.
Excuſſus ſomno Ioſephus, dulcia verba

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

Pectore ſub læto fixit, voluitq́; frequenter
Grato animo Chriſti præſentis nobile donum:
Et ſummi Regis matrem ſapienter amauit,
Corporeo amplexu formidans tangere Nymphã
Officio tanto celebrem: nam viuida virtus
Stat ſubiecta Deo, mandataq́; cœlica curat,
Inq́; miniſterio commiſſo læta quieſcit.
Cæſaris Auguſti tunc aurea ſecla nitebant,
Lætaq́; pax cunctis Mundi radiabat in oris:
Tunc nec Pardus oues vaſtabat, nec lupus agnos:
Scilicet aduentu Domini felicius æuum
Blandam præbebat faciem vultumq́; ſerenum.
Cumq́; omnes iuxta ſummi decreta Monarchæ
Eſſent cenſendi, perſonaq́; quælibet ortum
Ipſa ſuum patria præſens monſtraret in vrbe:
Tum quoq; Ioſephus, Maria comitãte, profectus
Ex Galilæorum terra peruenit in vrbem
Iudææ paruam, priſco quam nomine dicunt
Bethleëmam quòd erat prognatus ſtirpe vetuſta
Dauidis, velletq́; ſuum nomenq́; genusq́;,
Et pariter Mariæ profiteri nobile ſtemma,
Quæ portabat onus grauidi venerabile vẽtris.
Cum iam tempus erat, quo formoſiſſima virgo
Ederet in lucem fœtum, ventremq́; leuaret

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

Pignore ſuſcepto, partumq́; emitteret aluo:
Tunc peperit gnatum, quē mollibus ipſa reuin-
Faſciolis, atq; in præſepi blanda locauit. (xit
Illis quippe locum non diuerſoria dignum
Præſtabant: adeon̄ puer hic ignobilis vrbi,
Imò orbi ignotus, qui Rex eſt ſummus Olympi?
Sed decus eximium ſe mira luce ſubinfert
Vicina regione probis paſtoribus: ad quos
Angelus aduenīēs tenebroſas diſcutit vmbras,
Illuſtratq́; omnem cæleſti lumine campum.
Hi timuêre nimis clariſsima ſigna videntes
Dum gregibus præſunt ſeruandis: aliger autem
Nuncius euellens ipſorum è mente pauorem,
Ne timeatis, ait: Nam nuncio maxima vobis
Gaudia, quæ populo ſunt euentura fideli.
En, Chriſtus Dominus, Seruator amabilis, atq;
Omnipotens princeps, hodierna luce refulget
Editus in Mundū, qua condita mœnia ſurgunt
Bethleëmæ Iudæ, ceu vatis recta Michææ
Argutis dictis ſententia prodidit olim.
Faſciolis puerum (vobis ea ſigna niteſcent)
Cernetis vinctum præſepi tumq́; repoſtum.
Nec mora, militiæ cæleſtis magna caterua
Emicuit, laudesq́; Dei cantauit, & inquit:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

Gloria vera Deo cœlis qui regnat in altis,
Se quoq; per cunctas fundat pax cãdida Terras,
Mortalesq; bonos iungat ſyncera voluntas.
Omnibus illa fuit vox, hic fuit omnib. hymnus:
Dulcibus inſonuit vaſtus clangoribus Aether,
Reddidit optatos modulos reſonabilis Echo.
Paſtores autem vigiles documenta ſalutis
Mente reuoluerunt fida, promtiq; petentes
Vrbem, præſepi puerum vidêre iacentem,
Quẽ penes & mater nec non Ioſephus honeſto
Enituit vultu: qui protinus omnia viſa
Et ſimul audita enarrant: Volat ardua fama
De nato Chriſto Domino: plebs optima gaudet,
Collaudatq; Deum viuum pro munere miſſo.
Nos quoq; præſtantis pueri renouemus hono-
Dulcia pacato meditantes gaudia corde: (rem
Hoc etenim ſuadet pietas animiq; venuſtas
Qua puer hic magni rutilat Patris incrementũ.
Tollite propterea vocem iuuenesq; ſenesq;
Et cantate illum, qui noſtra carne volutus
Gaudet homo dici, quamuis Deus optimus idẽ
Cenſetur Patre cum ſummo, Flatuq; perenni.
Hic eſt ille puer, Patris omnipotentis imago,
Mens æterna manens, vox & ſapientia viua,
Stella

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

Stella nitens, lumen clarum, Rex atq; Saeerdos,
Sanctus ſanctorũ, princeps ſublimis & ingens,
Iuſticiæ niueæ Sol purus, fonsq́; ſalutis,
Virginis electæ germen, muliebreq́; ſemen,
Improba quo Stygij franguntur colla Draconis,
Celſaq́; ſiderei decorantur ſceptra parentis:
Tantus homo, tantusq́; Deus, iam natus in Orbem
Virgine de pura, ſociali fœdere iungit
Mortales Patri excelſo, quos lapſus Adamus
Traxerat in triſtem ſcelerata labe ruinam.
Propterea ſiquidem carnem ſuſcepit IESVS,
Vt noſtram carnem ſaluaret, cordaq́; noſtra
Grata Patri faceret, nec deprimeremur in Orcũ,
Sed potiùs gratis pulcro frueremur Olympo.
Quid, Iudæe, tumes? quid Chriſtum ſcommate pungis
Iam natum? forſan, Meſſiam quæris habere
Illuſtri de gente ſatum, celebremq́; Monarchã,
Stipatumq́; ducem ſatrapis, validisq́; miniſtris?
Natus adeſt Chriſtus Dominus, gaudete fideles:
Auſpicio Chriſti Satanæ violentia ſæui
Fracta iacet, regnatq́; Fides cœtumq́; piorum

Aeter-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

Aeterni decorat ſuauiſsima gratia Patris.
Natus adeſt Chriſtus Dominus, gaudete fideles:
Aduentu Chriſti ceſsit maledictio legis,
Libertasq; pijs animis conceſſa vigeſcit,
Vt bona patrantes fugiamus turpia facta.
Natus adeſt Chriſtus Dominus, gaudete fideles:
Præſidio Chriſti nobis præſentia vitæ
Tempora miteſcunt: poſt hæc quoq; vita futura
Lætior exurget, præclaraq; ſecula current.
Natus adeſt Chriſtus Dominus, gaudete fideles:
Chriſtus enim lux eſt quæ totum illuminat Orbem,
Et tenebras pulſat Mortis, lumenq; perenne
Reddit, & æternæ vitæ concedit honorem.
Quòd mihi ſi centum linguas daret inclyta Pallas,
Milleq; ſufficeret mihi voces aurea Muſa,
Non ego par, certè, reſonandis laudibus eſſem
Chriſte tuis: tāta eſt tua Virtus, optime Chriſte.
CHRISTE potens ſalue, totumq; niteſce per Orbem.

Etſe-

Et felix prodi Rex fulgide, daq́; decentem
Nobis ſucceſſum: fac te reuerenter amemus,
Sectemurq́; tuæ doctrinæ nobile ſidus.
Nam quoq́; tu gentes ſpecioſo lumine pulcræ
Duxiſti ſtellæ: dum myrrhæ thuris & auri
Pondera grata tibi mira pietate tulerunt.
Quæ ſi nos inopes nequeamus promere dona:
Corde tibi niueo caſtiſsima vota, precesq́;
Ore verecundo, dulciſsime Chriſte, feremus.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)

2132.

fol. 181 231

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2132 8° (LN 1419)